

<Lib. II, Q. 2, A. 1: Utrum quaelibet intellectualis natura certis circumscriptis limitibus corporum extrinsecis passionibus naturaliter sit substantia>

1. Sequitur secunda quaestio II libri *Sententiarum*. Quaestio ad
5 praesens tractanda est ista: utrum quaelibet intellectualis natura certis
circumscriptis limitibus corporum extrinsecis passionibus naturaliter
sit substantia. Et arguitur quod non tribus mediis. Et primo sic: nulla
intellectualis natura est in loco; sed esse in loco est passio extrinseca
consequens corporalem naturam; ergo quaestio falsa. Consequentia et
10 minor patent. Sed maior probatur, quoniam quodlibet quod est in loco,
est in loco naturaliter vel violenter; sed nulla natura intellectualis est
in loco naturaliter vel violenter; ergo nulla talis est in loco.
Consequentia et maior patent. Et minor declaratur, nam si natura
intellectualis esset in aliquo loco naturaliter, sequitur quod ab illo non
15 posset recedere nisi per violentiam. Consequens est falsum, quia uni
naturae intellectuali non est magis locus naturalis ipsa terra quam sit
aer, et ita si aer esset sibi locus naturalis, non posset recedere ab aere
sine violentia; quare propositum. Nec etiam est dicendum quod sit
violenter in loco, quia omne quod est in aliquo loco violenter, habet
20 locum naturalem sibi oppositum, ut patet in corporibus. Nec valet si
dicatur quod in quocumque loco poneretur, esset ibi violenter, quia
tunc angelus cum mittitur ad homines violentaretur continue, quod
falsum est; quare sequitur quod non est in aliquo loco naturaliter vel
violenter; quod est propositum.

2. Praeterea, natura intellectualis non potest localiter moveri; sed
25 localiter moveri est passio extrinseca consequens corporalem naturam;
ergo quaestio falsa. Consequentia et minor patent. Sed maior
declaratur, quoniam omne motum localiter est continuum; sed nulla
intellectualis natura est continuum; ergo propositum. Consequentia
30 patet; et minor ex hoc, quoniam quaelibet intellectualis natura est
indivisibilis cum sit substantia incorporea; sed maior apparet
auctoritate Philosophi, VI *Physicorum*, et potest sic declarari, quoniam
omne quod movetur localiter, partim est in termino a quo et partim in
termino ad quem; sed quodlibet habens partes est continuum; ergo
35 quodlibet quod movetur est continuum. Consequentia est nota et
similiter minor; et maior est experimentaliter nota, et patet etiam VI
Physicorum; quare propositum.

3. Praeterea, nulla natura intellectualis mensuratur tempore; sed
mensurari tempore est passio extrinseca consequens corporalem

221,32 Philosophi] ARIST., *Physica*, VI, c. 4 (AL VII-1, 229; Z, c. 4; 234b 10-17); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 154: Omne quod movetur est divisibile, quia partim est in termino ad quem movetur.

naturam; ergo quaestio falsa. Consequentia et minor patent. Et maior 40
 declaratur, quoniam a quocumque removetur ratio quantitatis in
 communi, ab eo removetur quaelibet ratio quantitatis in particulari;
 sed a creatura intellectuali removetur ratio quantitatis in communi,
 cum ipsa non sit quanta vel quantitas; ergo et quaelibet ratio
 quantitatis in particulari, et per consequens ab ipsa removetur ratio 45
 quantitatis discretas. Cum igitur tempus sit quantitas, sequitur quod
 naturae incorporeae non subsunt tempori; quod est propositum.

4. Ad oppositum et pro veritate quaestionis arguo unico medio:
 quaecumque subsunt motui locali, subsunt loco; sed quaecumque
 subsunt tempori, subsunt motui locali; ergo quaecumque subsunt 50
 tempori, subsunt loco, ut haec sit bona consequentia: 'est in tempore,
 ergo in motu'; 'est in motu, ergo in loco'. Sed quaelibet natura
 intellectualis certis circumscripta limitibus est in tempore; ergo
 propositum. Probatur minor, quia omne quod incipit esse subiacet
 tempori; talis est quaelibet intellectualis natura finita; ergo 55
 propositum. Cum igitur istae tres sint passiones extrinsecae corpora
 consequentes, videlicet esse in loco, moveri et tempore mensurari,
 sequitur quod naturae cuilibet intellectuali, certis circumscriptas
 limitibus, conveniunt huiusmodi passiones; quod est propositum.

<Status quaestionis>

60

5. Pro decisione istius quaestionis iuxta materiam trium
 argumentorum ad quaestionis oppositum adductorum, tres erunt
 articuli pertractandi| quorum primus iuxta materiam primi argumenti
 erit iste: utrum quaelibet creatura spiritualis ad sui existentiam requirat
 aliquod receptaculum corporale. Secundus iuxta materiam secundi 65
 argumenti erit iste: utrum quaelibet limitata intellectualis substantia
 possit moveri realiter per aliquod spatium successive. Tertius articulus
 iuxta materiam tertii argumenti erit iste: utrum mensuris temporalibus
 naturae intellectualis permanentia partibiliter mensuretur.

<Status articuli 1>

70

6. Pro declaratione istius articuli sic procedam. Primo
 investigabo radicem locabilitatis, unde scilicet provenit quod aliquid
 dicatur esse in loco. Secundo descendam ad dicendum aliquid de
 quaesito. Et tertio movebo quaedam dubia ad materiae declarationem
 plenioram. 75

<Art. 1: Quid sit radix locabilitatis? Conclusio 1>

7. Pro primo igitur exsequendo, pono aliquas conclusiones.
 Quarum sit ista: substantiae positiva condicio non est formaliter
 locabilitatis ratio generalis. Volo dicere quod ratio formalis ipsius
 locabilitatis non est ratio substantialis generaliter. Haec conclusio sic 80

probat: aliquod ens est locabile quod non est substantia; ergo
 propositum. Consequentia patet. Antecedens probatur, quoniam
 quantitas in sacramento altaris est locabilis ut apparet, et tamen non
 est substantia secundum fidem, quia ibi accidentia sunt sine subiecto;
 85 quae sive sint sua quantitas sive non, non minus habetur quod aliquid
 est in loco quod non est substantiae positio subiectiva; quare
 propositum.

8. Praeterea, si ratio generalis locabilitatis sit ipsa substantiae
 positiva condicio, sequitur quod quidquid est in loco, iam de facto
 90 esset per rationem substantiae. Consequens est falsum, ergo et
 antecedens. Consequentia patet. Sed consequentis falsitas sic probatur,
 quoniam nulla ratio indifferenter respiciens substantiam et accidens
 habet in sua ratione formali substantiam; sed esse locabile
 indifferenter respicit substantiam et accidens, quia aliqua substantia
 95 est in loco, et similiter aliquod accidens. Ergo non videtur quod de per
 se ratione locabilitatis sit ratio substantiae; quare conclusio vera. Et
 loquor hic semper de locabilitate quae formaliter respicit locabile et
 non locum, videlicet de ratione formali per quam alicui rei competit
 posse coexistere loco, non autem de locabilitate contentiva loci quae
 100 videtur esse quantitas imaginaria vel realis.

<Conclusio 2>

9. Secunda conclusio est haec: quantitatis commensurativa
 proportio non est formaliter locabilitatis ratio generalis. Ista conclusio
 sic probatur, quoniam si oppositum conclusionis esset verum,
 105 sequeretur quod nihil posset esse in loco nisi quantum. Consequens est
 falsum, ergo et antecedens. Et consequentis falsitas apparet de angelis
 qui sunt in loco, ut patet Matt. 25: *ite maledicti in ignem aeternum qui
 paratus diabolo et angelis] eius*; quare propositum.

C 182ra

10. Praeterea, quaelibet pars universi est in universo sicut
 110 quaelibet pars in suo toto; sed quilibet angelus est pars universi; ergo
 est in universo. Cum igitur universum sit omnia continens, sequitur
 quod angelus continetur ab universo, et per consequens angelus est in
 loco, et non est quantus quare propositum.

<Conclusio 3>

115 11. Tertia conclusio est haec: causalitatis effectivae operatio non
 est formaliter locabilitatis ratio generalis. Ista conclusio sic probatur,
 quoniam si ipsius oppositum esset verum, tunc non posset aliquid in
 aliquo operari cui non esset praesens. Consequens videtur falsum de
 sole qui producit aurum in visceribus terrae et similiter vermem, et
 120 tamen non est ibi localiter; quare propositum.

107 ite...108 eius] Matt. 25, 41.

12. Nec valet si dicatur quod hoc facit per suos radios, quoniam radius solaris cum sit lumen ab ipso derivatum, non est productivum formae substantialis, quia tunc accidens in virtute propria produceret formam substantialem, quod non est communiter concessum; ergo ipse sol est talis forma substantialis productivus. Non ergo agentis operatio infert formaliter existentiam agentis coexistere loco in quo suus effectus virtualiter ponitur; quod est propositum. 125

13. Praeterea, ratio potissima quae ab aliquibus assignatur quare Deus est ubique, est propter effectum quem attingit virtute suae activitatis; sed haec non videtur formalis ratio quare debeat dici in loco; ergo propositum. Probat minor, quoniam ad hoc quod effectus fluat ab aliqua causa, solum sufficit quod effectus contineatur virtualiter et causaliter in tali causa. Ubi ergo distantia agentis a passo non remitteret actionem agentis, aequae posset tale agens agere distanter sicut immediate. Non ergo requiritur primo et per se ad operationem talis simultas sive loci praesentialitas nisi propter defectum agentis. Cum igitur Deus sit infinitae virtutis activae, sequitur quod ex hoc quod Deus operatur, non dicitur esse formaliter in loco, et per consequens operatio causalis non est formaliter generalis ratio locabilitatis; quare propositum. 130 135 140

<Conclusio 4>

14. Quarta conclusio est haec: dependentiae conservativa protectio non est formaliter locabilitatis ratio generalis. Volo dicere propter quosdam qui dicunt quod locabilitas provenit propter dependentiam quam habet unum ens ad aliud ut conservetur in ipso, ut patet de terra quae non servatur diu nisi in terra, et sic de aliis. Propterea natura dedit eis inclinationem et motum ad loca conservativa. Sed licet hoc in aliquibus sit verum, non tamen generaliter. Quod sic probatur, quoniam secundum Philosophum corpora caelestia sunt perpetua et aeterna, et per consequens unum non est alterius conservativum cum ex se sit necesse esse secundum illam viam, et tamen unum est locus alterius. Non ergo ratio conservationis est formalis ratio locabilitatis; quare propositum. 145 150

C 182rb

15. Praeterea, corpora caelestia sunt istorum inferiorum conservativa ut docet experientia de motu solis secundum accessum et recessum ad signa septentrionalia ubi tunc est plantarum et arborum nutritivus, et tamen non est cum ipsis locabiliter in eodem loco. Ergo non videtur quod ratio conservationis sit medium sufficiens inferendi ipsum conservans esse in eodem loco cum conservato. Immo ista 155

149 Philosophum] Cf. ARIST., *Metaph.*, XII, c. 8 (AL XXV-3, 260; Λ, c. 8; 1073a 34-35); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 138: Stellarum natura est aeterna.

160 radix videtur inniti radici dicenti operationem esse formalem rationem
 quare aliquid dicitur esse in loco, et maxime de spiritualibus quod
 visum est non esse verum, nam conservatio videtur operis continuatio;
 quare propositum.

<Conclusio 5>

165 **16.** Quinta conclusio est: nulla ratio citra rationem communiter
 transcendentem est formaliter locabilitatis ratio generalis. Haec
 conclusio sic probatur: tam substantiae quam accidenti competit
 locabilitas; sed nulla ratio citra rationem communiter transcendentem
 competit substantiae et accidenti; ergo nulla talis est formaliter ratio
 170 generalis locabilitatis. Consequentia patet et maior similiter. Sed
 minor declaratur, quoniam inter generalissima et transcendens nullus
 est conceptus medius, quia tunc ille esset genus supra illa et ita illa
 non essent generalissima. Cum igitur substantia et accidens sint duo
 generalissima, sequitur propositum.

175 **17.** Praeterea, nulla ratio citra rationem transcendentem est
 convertibilis cum ratione transcendente; sed esse locale hoc est
 posse esse in loco est ratio convertibilis cum ratione transcendente;
 ergo nulla talis est ratio citra rationem transcendentem. Consequentia
 et maior patent. Et minor apparet, quoniam omne ens est potens esse
 180 in loco, et omne potens esse in loco est ens, et sequitur 'ens est, ergo
 potens esse in loco est' et e converso; ergo similiter convertuntur illae
 duae rationes; quare etc.

<Conclusio 6>

18. Sexta conclusio et finalis quantum ad hoc est ista: sola ratio
 185 transcendentem sumpta est formaliter locabilitatis ratio generalis. Ista
 conclusio patet ex hoc, quoniam aliqua est ratio formalis locabilitatis,
 et nulla citra transcendentem per praecedentem conclusionem; ergo
 propositum. Consequentia et minor patent. Et maior apparet, quoniam
 ex quo alicui enti competit esse in loco et per consequens posse esse
 190 in loco, aut ergo competit tali enti si sit substantia sub ratione
 substantiae; et hoc non, ut dicit prima conclusio. Aut sub ratione
 quantitatis, et hoc non, ut vult secunda conclusio. Aut sub ratione
 causalitatis, et hoc non ut vult tertia. Aut sub ratione conservationis, et
 hoc non, ut vult quarta. Et per consequens ex quo locabilitas competit

191 prima conclusio] Cf. supra n. 7-8. **192** secunda conclusio] Cf. supra n. 9-10. **193**
 tertia] Cf. supra n. 11-13. **194** quarta] Cf. supra n. 14-15.

tali enti, oportet imaginari quod per aliquam rationem hoc sibi 195
competit; quare propositum.

19. Unde advertendum est pro imaginatione habenda in
proposito quid Aristoteles sentit. Imaginatur namque ipse quod ratio
temporis, quae consistit in quantitate discreta, praesupponit aliquid
cuius sit mensura;| hoc autem non potest esse quodlibet 200
qualitercumque se habens, sed solum illud quod continue nunc aliter
se habet quam prius. Et ex hoc imaginatur quod motus est illud quod
immediate respicit ipsum tempus. Quia igitur motum fieri non potest
imaginari nisi in loco nec sine corpore, ideo necessario apud eum
fundamentum radicale, tam locabilitatis quam etiam mobilitatis quam 205
temporalitatis, est ipsa quantitas.

20. Et ideo apud eum omne quod est in loco est quantum, et
similiter omne quod movetur et subest tempori est quantum. Et quia
aeterna intelligentiae non sunt quanta, ideo non mesurantur tempore
nec per consequens subiacent motui nec loco. Ideo apud eum 210
consequentia est bona 'hoc non est quantum, ergo hoc non est in loco
nec subiacet motui nec etiam tempori'. Et idcirco apud eum habitudines
praedicamentorum accidentalium in intelligentiis minime locum
habent.

<Quid tenendum secundum fidem> 215

21. Sed quia catholici tractatores assumunt ex Scripturis Deum
esse ubique, et similiter angelos moveri et esse in loco, ideo oportet ad
fidei sinceritatem salvandam aliud assignari primum subiectum de quo
dicitur posse coexistere loco. Et cum non sit ipsa quantitas, eo quod
Deus et sancti angeli incorporei sunt, ideo cum nil videatur Deo et 220
cuilibet creaturae commune nisi ratio transcendentis, oportet nos
dicere quod primum et immediatum subiectum de quo potest verificari
posse coexistere loco, et cum non sit ipsa quantitas, sit ipsa ratio
entitatis communiter sumpta.

22. Unde pro regula generali potest teneri quod quandocumque 225
aliqua ratio connotativa potest Deo et cuilibet creaturae correspondere,
subiectum primum quod talis ratio respicit, est condicio transcendentis
pro eo quod nihil citra transcendens est Deo et cuilibet creaturae
commune. ET ex hoc sumitur radix et investigatio multorum
dicibilium circa theologicas veritates. 230

<Art. 2: Quid dicendum de proposita quaestione. Opinio 1>

23. His igitur praemissis descendendo ad quaesitum ideo quod
communiter secundum fidem tenetur quod quaelibet creatura
spiritualis est in loco. Sed qualiter diversi doctores nisi sunt modum

235 intelligendi diversimode explicare. Quidam dicunt quod angelus
dicitur esse solum in loco per suam operationem. Ratio est: non aliter
dicitur esse in loco nisi quia eius operatio apparet in loco, ut patet de
motu orbium et aliorum quae circa nos gesta fide tenemus.

<Contra opinionem primam>

240 **24.** Sed contra istam opinionem est ratio probabilis, licet non
convincens et auctoritas multiplex. Arguitur igitur primo sic: quilibet
actus secundus in aliquo praesupponit in eodem actum primum; sed
operari in loco est actus secundus; ergo praesupponit existentiam
operantis in loco. Ergo per prius est angelum loco coexistere quam
245 ipsum aliquid operari.

25. Praeterea, quaelibet substantia cuius virtus est limitata, et
ipsa secundum quamlibet rationem sibi intrinsicam est limitata; sed
creatura spiritualis est huiusmodi; ergo propositum. Et per consequens
cum sua activitas sit limitata, aut ergo est nusquam, aut ubique, aut
250 alicubi. Non est dicendum quod sit nusquam, quia quod nusquam est,
nihil est. Nec etiam ubique propter sui limitationem intrinsicam; ergo
est alicubi.

26. Praeterea, maior intimitas requiritur formae ad materiam
quam locati ad locum; sed anima intellectiva, quae est indivisibilis, est
255 forma corporis secundum propriam substantiam; ergo et ita est
possibile de creatura spirituali respectu loci, et per consequens non
solum per oppositionem sed etiam per propriam essentiam creatura
spiritualis potest esse in loco.

27. Et ad hoc sunt plures auctoritates. Unde Damascenus, libro
260 II cap. 3 dicit: omnes angeli sunt circumscriptibiles, quando enim sunt
in caelo, non sunt in terra, et in terram a Deo missi, non manent in
caeli. Et multae aliae auctoritates faciunt ad istud propositum quas
brevitatis causa dimitto.

28. Praeterea, isto opinio condemnata et reprobata fuit per
265 dominum Stephanum Parisiensem episcopum de concilio magistrorum
venerabilium huius sacratissimae facultatis sub duplici forma. Primo

235 Quidam] Cf. THOMAE DE AQUINO, *Summa theol.*, I, q. 52, a. 1, in corp.: Per applicationem igitur virtutis angelicae ad aliquem locum qualitercumque, dicitur angelus esse in loco corporeo. **259** Damascenus] IOAN. DAMASC., *De fide orthod.*, c. 17 (II, c. 3), n. 8, ed. E. BUYTAERT (St. Bonaventure U.-FIP 8, p. 71): Circumscriptibiles: cum enim sunt in caelo, non sunt in terra; et cum ad terram a Deo mittuntur, non remanent in caelo. **266** Primo] Cf. R. HISSETTE, *Enquête sur les 219 Articles Condamnés à Paris le 7 Mars 1277*, art. 54 (Louvain-Paris 1977, p. 104): Quod substantiae separatae nusquam sunt secundum substantiam; D. PICHÉ-C. LAFLEUR, *La Condamnation Parisienne de 1277*, art. 77 (Paris Vrin, 1999, p. 102).

sub ista forma quod angelus non sit in loco secundum substantiam, error. Secundo sub ista quod substantia quae non movet aliquod sensibile in hoc universo non est in universo, error. Et tamen hoc ponit ista positio. Nam si angelus non moveret aliquod corpus, non esset in universo. Tertio sub ista forma quod substantiae separatae nusquam sint, error; non sunt in aliquo nisi per operationem, error. Quarto sub ista quod substantiae separatae nusquam sint, error. Sic igitur apparet quod haec opinio tamquam erronea est respuenda.

<Opinio 2>

29. Secunda opinio dicit quod omnia quae sunt in loco, sunt per quantitatem vel per aliquid simile quantitati. Et ideo licet creatura spiritualis non habeat quantitatem, est tamen in loco per aliquid simile quantitati. Huiusmodi tamen substantiae est ipsa virtus et perfectio creaturae spiritualis, quia “in his quae mole magna non sunt, idem est magnum esse quod melius.” Ista autem virtus potest dupliciter comparari: vel ad substantiam talis naturae, vel ad obiectum exterius. Primo modo habet rationem qualitatis potius quam quantitatis. Sed secundo modo habet rationem quantitatis et sic habet rationem virtutis operativae. Angelus ergo est in loco per applicationem virtutis suae ad corpus circa quod operatur et non per operationem. Et ex hoc apparet quod fundamentum istius positionis est quod angelus est in loco per suam potentiam.

<Contra opinionem secundam>

30. Sed contra istam opinionem arguo sic: potentia per quam angelus est in loco, vel est materialis, vel immaterialis. Non est dicendum quod materialis. Si ergo immaterialis, cum igitur substantia angeli sit etiam immaterialis et per hoc excluditur ab essentia angeli quod sit in loco, per consequens ergo non magis videtur quod repugnet substantiae angeli quod primo et per se sit in loco quam suae potentiae. Et per consequens angelus non dicitur esse in loco ratione suae potentiae, sed oportet aliam quaerere rationem; quare propositum.

268 Secundo] Cf. R. HISSETTE, *Enquête sur les 219 Articles Condamnés à Paris le 7 Mars 1277*, art. 50 (Louvain-Paris 1977, p. 101): Quod si esset aliqua substantia separata quae non moveret aliquod corpus in hoc mundo sensibili, non clauderetur in universo; D. PICHÉ-C. LAFLEUR, *La Condamnation Parisienne de 1277*, art. 219 (Paris Vrin, 1999, p. 146). **271** Tertio] Cf. R. HISSETTE, *Enquête sur les 219 Articles Condamnés à Paris le 7 Mars 1277*, art. 55 (Louvain-Paris 1977, p. 104): Quod substantiae separatae sunt alicubi per operationem; D. PICHÉ-C. LAFLEUR, *La Condamnation Parisienne de 1277*, art. 204 (Paris Vrin, 1999, p. 140). **280** in...281 melius] AUGUST., *De Trin.*, VI, c. 8 (CCL 50, 237; PL 42, 929).

300 **31.** Praeterea, essentia angeli, circumscripta quacumque
 potentia, est limitata per gradum intrinsecum suae entitatis; sed omnis
 essentia limitata, circumscripto quocumque alio se posteriori et ad hoc
 pertinente, – quod addo propter locum – est in loco; ergo essentia
 angeli potest esse in loco etiamsi nulla sibi potentia corresponderet, et
 per consequens ratio potentiae non est sibi ratio formalis essendi in
 305 loco.

32. Propterea per prius est essentiam angeli esse quam aliquam
 ipsius potentiam esse. Tunc arguo sic: aut essentia angeli, ut praecedit
 potentiam suam, est nusquam aut ubique aut alicubi. Non primo
 modo, quia sic nihil esset et per consequens ut sic non procederet. Nec
 310 secundo modo propter intrinsecam limitationem talis essentiae. Et per
 consequens oportet dare tertium modum. Et ita apparet quod ratio
 potentiae seu virtutis applicativae in angelo non est sibi ratio formalis
 existendi in loco; quod est propositum.

33. Praeterea, quod ratio quantitatis in corporibus non sit
 315 formalis ratio quod existant in loco arguo sic: corpus Christi potest
 esse in aere sicut in sacramento altaris, hoc est definitive habens
 ordinem partium in toto quamvis non in loco, et tamen erit definitive
 in loco et non per aliquam rationem quantitatis; ergo non videtur quod
 ratio formalis quare corpora sint in loco sit ipsa quantitas nisi solum
 320 circumscriptive. Sed per hoc non habetur quin corpus aliquod per Dei
 omnipotentiam non possit esse in loco nisi circumscriptive, immo
 potest esse in loco et non habere ordinem partium in loco; quare
 propositum.

<Opinio 3>

325 **34.** Tertia opinio fuit quod angelus dicebatur esse in loco
 negative et non positive, videlicet per quandam indistantiam a loco,
 sicut multi imaginantur Deum esse in loco per hoc quod non distat a
 loco nec locus ab ipso. Sed quidquid de secundo, non curo ad
 praesens. Tamen arguo contra primum sic: nulla negatio removetur ab
 330 aliquo nisi per oppositam affirmationem; sed certum est quod nunc
 angelus non distat a loco in quo est, et consequenter distabit ab eodem,
 utputa quando est in caelo, non est in terra, iuxta dictum Damasceni
 superius allegatum. Ergo si nunc distat a loco in quo prius fuit,
 sequitur quod huiusmodi distantia est positiva, et per consequens
 335 nunc est in aliquo positive, quare et prius similiter erat in loco
 positive.

C 183rb

332 dictum Damasceni] Cf. supra n. 27.

35. Praeterea, omnis motus localis habet duos terminos positivos; sed angelus movetur localiter; ergo acquirit terminum positivum, et per consequens est in loco positive.

36. Et confirmatur, quia omnis motus, secundum Philosophum 340
V *Physicorum*, vel est a subiecto in subiectum, vel a subiecto in non-subiectum, vel e converso. Sed a non-subiecto in non-subiectum impossibile est fieri motum. Ergo si angelus movetur localiter, necessario oportet quod moveatur acquirendo terminum positivum. Et ita apparet quod non potest stare angelum dici in loco tantummodo 345
negative; quod est propositum.

37. Ad declarandum igitur istam difficultatem est advertendum quod in loco considero quinque condiciones secundum quod in corporibus experimur, videlicet praesentialitatem, continentiam, commensurationem, innitentiam et conservationem. Verbi gratia, 350
locatum est praesens loco et similiter continetur a loco et circumscribitur a loco, ita quod pars est praesens parti et totum toti. Similiter locatum innititur loco, nam cum ponitur corpus extra suum locum naturalem innititur quantum potest ut perveniat ad suum locum. Similiter locatum conservatur a loco ut experimur quod levia sursum, 355
deorsum gravia, et omnia secundum varias regiones salvantur.

38. Ad propositum igitur applicando oportet nos salvare istas propositiones: ‘Deus est in loco’, ‘angelus est in loco’, ‘corpus est in loco’. Dico igitur quod quatuor conclusiones quae sequuntur non possunt competere Deo, videlicet quod claudatur et contineatur a loco, 360
cum ipse excedat omnem locum possibilem vel realem. Similiter quod commensuretur non, cum sit supersimplex et incorporeus, et ideo incircumscribibilis. Nec etiam innititur, quasi naturaliter inclinatur ad ipsum. Nec ab eodem potest conservari, quia omnia ista imperfectionem dicunt. Est ergo Deus in loco tantum primo modo, 365
videlicet per praesentiam.

39. Sed quae sit sibi ratio formalis ut sic possit esse praesens cuicumque loco? Dico ad praesens quod illimitatio propriae quiditatis concurrente modo independentiae ita quod necessario si aliquis locus est, mox eidem est praesens ipse Deus. Unde dato quod Deus 370
produceret unam intelligentiam infinitam, non haberet quod necessario posito aliquo statim esset praesens illi. Et ergo hoc totum est ratio formalis quod Deus sit ubique, videlicet illimitatio propriae quiditatis

221,356 regiones] servantur *add. sed del.* C 369 quod necessario] *inv. sed corr. signis transp.* C

340 secundum Philosophum] ARIST., *Physica*, V, c. 1 (AL VII-1, 194; E, c. 1; 225a 4-6).

modo independentiae concurrente. Sic igitur apparet qualiter
375 possumus Deum intelligere esse in loco.

40. Creatura vero spiritualis, licet habeat praesentialitatem et
continentiam a loco, non tamen| commensurationem, innitentiam et C 183va
conservationem, quia nec est quantus nec a corpore naturaliter
dependens in conservari; continetur tamen pro eo quod sic est in uno
380 loco quod non in quolibet. Unde sicut anima intellectiva sic informat
unum corpus quod non quodlibet, ita et angelus sic praesens est uni
loco quod non cuilibet, et ideo continetur et clauditur a loco. Ratio
igitur formalis quod sit in loco est propriae naturae intrinseca
limitatio.

41. Corporalis vero creatura infra sphaeram activorum et
385 passivorum habet praedictas quinque condiciones naturaliter in
habitudine ad locum, licet posset absolvi ab aliquibus per Dei
omnipotentiam.

42. Et secundum hoc apparet quod alio modo Deus est in loco,
390 angelus et corporalis creatura, qui modi possunt exprimi per
repletivum definitivum et circumscriptivum, ut Deus dicatur in loco
repletive quia omnem implet sua praesentialitate; angelus vero
definitive quia sic est in isto loco quod non alio; corporalis vero natura
sic circumscriptive, quia pars locati coexistit parti loci et totum
395 cohhaeret toti.

43. Et ex his ulterius advertendum est quod locabile potest
dupliciter intelligi secundum quandam dependentiam a loco vel
secundum praesentiam. Primo modo nullo modo dicitur Deus in loco
sed secundo modo et quasi improprie. Unde Deus potius habet
400 rationem locantis quam locati, nam Deus continens locum mensurat
ipsum per infinitas sui replicationes; locus innititur ad ipsum et
similiter conservatur ab ipso. Et ideo si quis bene advertit, Deus potius
habet condiciones loci quam locati, et ideo improprie valde dicitur
locabilis vel locatus vel esse in loco. Et ideo Ioannes Evangelista
405 ipsum quodammodo expressit locum omnium dicendo: *quod factum
est in ipso, vita erat.*

44. Sic igitur apparet qualiter est intelligendum creaturam
spiritualem esse in loco, non per operationem tantum ut dicit prima
positio, nec per potentiam ut dicit secunda, nec pure negative ut vult
410 tertia, sed tam per substantiam quam per potentiam quam etiam per

387 locum] et *add.* C

405 quod...406 erat] Ioan. 1, 3. 408 prima positio] Cf. supra n. 23. 409 dicit secunda]
Cf. supra n. 29. || vult tertia] Cf. supra n. 34.

operationem. Et omnibus istis existit formalis ratio intrinseca limitatio et dependentia creaturae spiritualis in quolibet praedictorum.

<Argumenta contra hanc positionem>

45. Sed contra fundamentum istius positionis arguo aliquibus mediis ut veritas magis elucescat. Et probo quod creatura spiritualis non exigat aliquem locum corporalem ita quod sit in loco. Et primo sic: si creatura spiritualis exigit aliquem locum corporalem, aut exigit illum ad sui conservationem, aut ad sui commensurationem, aut quia est aliquid universi sicut pars exigit suum totum. Sed primo modo non, quia creatura spiritualis non dependet in conservari a corporali. Nec secundo modo, quia indivisibile non habet commensurari per divisibile. Nec tertio modo, quia tunc si Deus fecisset omnes angelos qui nunc sunt, et unam| testam ovi praecise, omnes angeli qui nunc sunt essent in una testa ovi, quod videtur derisorium et absurdum. Et consequentia patet, quia ex hoc praecise sunt in loco quod sunt pars universi. Cum igitur pro tunc essent pars universae et nullus esset locus corporalis nisi illa testa ovi, sequitur quod omnes essent ibi in illa testa ovi. Sed absurditas consequentis sic ostenditur: qualis habitudo est indivisibilis ad divisibile, talis habitudo videtur divisibilis ad indivisibile; sed absurdum videtur duo vel tria divisibilia esse in uno indivisibili; ergo et absurdum videtur plura indivisibilia esse in uno divisibili; vel si nulla videtur absurditas, quaeritur cur tam variae.

46. Praeterea, si creatura spiritualis sit in loco, aut ergo divisibili aut indivisibili. Non est dicendum quod sit in loco indivisibili propter duo. Primum, quia loco repugant indivisibilitas cum de per se ratione loci sit superficies, nam locus est ultimum corporis continentis. Proter secundum etiam, quia si angelus esset in loco indivisibili, non posset se movere de loco ad locum, quia tunc vel continuum esset compositum ex indivisibilibus finitis vel infinitis. Si infinitis, tunc infinita loca actualiter pertransiret, quod non videtur verum. Si vero sunt finita, sequitur quod divisio continui posset evacuari, quod non videtur verum; quare propositum. Nec est dicendum quod sit in loco divisibili, quia maior convenientia est indivisibilis ad indivisibile quam sit indivisibilis ad divisibile. Si ergo natura spiritualis non potest esse in loco indivisibili, a fortiori nec in loco divisibili, cum ipsa natura spiritualis sit indivisibilis, et per consequens sequitur quod nullo modo est in loco; quod est propositum.

47. Praeterea, maior est convenientia proprietatis corporalis cum loco quam sit substantiae spiritualis cum loco, quia omnia corporalia maiorem habent conformitatem ad invicem quam corporalia et spiritualia; sed numerus et unitas consequens continuum sunt proprietates corporales et illae non sunt in loco; ergo a fortiori nec natura spiritualis erit in loco; et ita habetur propositum.

455 **48.** Praeterea, si angelus esset in loco, aut igitur determinaret
 sibi certam quantitatem loci, aut occuparet totum universum.
 Secundum non potest dari, quia tunc quaelibet creatura spiritualis
 esset immensa localiter, quod non est dicendum. Si ergo detur
 primum, signetur illa quantitas, et sit gratia exempli unam quadratum
 habens sex superficies. Tunc creatura spiritutalis est in isto loco toto et
 460 in qualibet parte ipsius. Tunc cum in illo quadrato contineantur
 infinitae superficies pedalis quantitatis, si extenderentur huiusmodi
 superficies, sequitur quod una creatura spiritualis posset| esse in tota
 superficie caeli et etiam in maiori quantitate, et ita non sibi determinat
 locum certae quantitatis, et per consequens oportet vel quod sit talis
 465 creatura immensa localiter vel nullibi, quorum quodlibet est falsum;
 quare propositum.

C 184ra

49. Praeterea, si creatura spiritualis determinat sibi certum
 locum, aut ergo sic sibi determinat locum quod non potest esse nec in
 maiori nec in minori, aut sic quod non potest esse in maiori sed in
 470 quolibet minori. Primum non potest dari, quia angelus, cum sit
 indivisibilis, non videtur si sit in qualibet parte unius pedalis quin
 possit esse in qualibet parte medietatis illius pedalis et non in qualibet
 parte alterius medietatis. Sicut, verbi gratia, anima intellectiva nunc
 est tota in toto Sorte et tota in qualibet parte Sortis. Et si Deus auferat
 475 a Sorte manus et pedes, adhuc esset in Sorte, et tamen non in tot
 partibus in quot prius fuit. Ergo similiter signato uno pedali in cuius
 qualibet parte est angelus, adhuc si Deus destrueret medietatem illius
 pedalis, talis angelus maneret in alia medietate. Et ita non videtur
 quod sibi determinet tantum locum praecise sic quod non possit esse
 480 in minori. Sed si hoc detur, sequitur quod staret angelum a se ipso
 distare. quod sic probo: nam signo locum in quo est angelus cuius
 partes sint $a b c$. Sint a et c extremae, sed b media. Tunc si angelus
 potest esse in quolibet minori spatio quam sit locus eius, sequitur quod
 cum a et c sint minor locus quam $a b c$, quod angelus posset esse in a
 485 c quamvis non in b , et ita cum a distat a c per ipsum b medium,
 sequitur quod angelus distaret a se ipso, quod videtur absurdum. Et per
 consequens non videtur quod talis creatura spiritualis sit in loco.

50. Praeterea, si angelus posset esse in loco divisibili, sequitur
 quod simul et semel quiesceret et moveretur. Consequens videtur
 490 implicare contradictionem, ergo et antecedens. Consequentia
 probatur ex hoc, nam sit angelus in aliquo corpore fluxivo, utpote
 aqua vel aere. Constat quod cum quiete unius partis stat motus
 alterius. Et per consequens si angelus esset in toto illo loco, simul
 quiesceret et moveretur. Sed quod hoc implicat contradictionem
 495 apparet, quoniam ex quibuscumque contrariis sequuntur
 contradictoria; sed quies et motus sunt contraria; ergo ex positione

unius sequitur oppositum alterius et e contra. Et per consequens sequitur 'quiescit, ergo non movetur', et ita non stant simul quod quiescat et moveatur; quare propositum.

51. Praeterea, si angelus esset in loco divisibili, angelus a se ipso distaret. Consequens videtur impossibile, ergo et antecedens. Et consequentia probatur, quoniam signatis partibus loci *a* et *b*, constat quod partes huiusmodi ab invicem distant. Si ergo angelus est in qualibet illarum partium, sequitur quod a se ipso distat, quoniam non est maior ratio quare illae partes distent ab invicem quam et ipsa quae in ipsis partibus continentur; quare propositum.

52. Praeterea, si angelus est in loco divisibili, vel ergo per substantiam suam, vel per suam potentiam, vel per suam operationem terminantem vel transeuntem. Non duobus ultimis modis, quia nihil posterius est causa formalis essendi alicubi respectu sui prioris; sed quaelibet operatio angeli, sive sit transiens sive immanens, est posterior ipso angelo; ergo propositum. Nec potest dici primo modo, quia substantia angeli ex se est indifferens ad omnem locum, ergo vel est ubique vel nullibi; sed non est dicendum quod sit ubique, ergo est nullibi.

53. Si ergo DICATUR quod est in loco per suam potentiam, CONTRA: omnis potentia in angelo vel est volitiva vel intellectiva; sed non est in loco per volitivam, quia cum illa sit respectu cuiuscumque distantiae, sequitur quod per illam esset in omni loco. Nec est per potentiam intellectivam, quia aut per speculativam aut per practicam. Non per speculativam, quia illa abstrahit ab omni condicione materiali, et per consequens a tempore et loco. Nec per practicam, quia illa respicit operationem; sed constat quod per nullam operationem est praecise in loco, ut iam probatum est; ergo nullo modo est in loco.

54. Praeterea, quod potest esse in duobus locis, potest esse in infinitis, ut patet per Philosophum IV *Physicorum*: si unum corpus potest esse in duobus locis, eadem ratione et in infinitis; sed si angelus est in loco divisibili, est in pluribus locis, ergo potest esse in infinitis, et per consequens potest esse ubique, quod est falsum, cum hoc sit proprium solius Dei. Consequentia patet. Et minor probatur, quoniam in quolibet loco sunt infinitae partes quarum quaelibet continet angelum infinities, et per consequens quaelibet pars est angelo locus. Et cum una sit ab alia distincta, sequitur quod angelus est actualiter in infinitis locis, quod videtur impossibile.

55. Et confirmatur, quoniam si angelus esset ubique, non plura ubi sibi corresponderent quam nunc corresponderent; sed pro tunc

527 per Philosophum] ARIST., *Physica*, IV, ???

540 infinita 'ubi' si corresponderent, ergo et nunc. Sed impossibile est quod infinita ubi correspondeant angelo; ergo impossibile est quod sit in aliquo divisibili loco. Et assumptum patet, quoniam cum a qualibet parte sui loci contineatur, sequitur quod ad quamlibet habet unum 'ubi' et non illud quod habet respectu alterius. Ergo sequitur quod cum infinitae sint partes quod habent infinita ubi, et non plura ubi haberet si esset ubique, ergo assumptum verum; quare propositum.

545 **56.** Praeterea et ultimo arguo sic: si angelus est in loco divisibili, sequitur quod ipse potest esse in infinitis mundis si essent, et in qualibet parte ipsorum. Consequens videtur impossibile, quia tunc esset immensus. Et consequentia probatur, nam signo locum in quo nunc angelus est secundum quamlibet partem ipsius et sit *a*; signo
550 unum punctum in illo loco qui sit *b*, et sit universum *c*. Tunc arguo sic: maior est proportio *a* ad *b* quam sit *c* ad *a*, quia *a* aliquotiens sumptum potest reddere tantam quantitatem quanta est *c*; sed *b* infinities sumptum numquam redderet ipsum *a*. Cum igitur angelus per contractionem potest pervenire ad *b*, ergo videtur quod similiter
555 poterit per dilatationem sui pervenire ad quantumlibet magnam quantitatem.

57. Et confirmatur ratio, quoniam si possum me retrahere a nostra domina per infinitam distantiam, similiter possum ultra procedere. Nunc autem quantitatis ad punctum est maior distantia
560 quam cuiuscumque quantitatis ad aliam. Ergo si possum me retrahere a quantitate ad punctum, sequitur quod etiam possum me protrahere a quantitate quacumque data ad quantumcumque aliam.

<Responsio ad haec argumenta>

58. Ad istas rationes respondeo. Et primo ad primam cum dicitur
565 inquisitive ut quid angelus ponitur esse in loco propter conservationem vel commensurationem vel quia est pars universi; sit in nomine Domini quod non primis dubis modis sed tertio. Et cum dicitur quod tunc si Deus non creasset nisi unam testam ovi cum angelis quod tunc omnes angeli essent in una testa ovi, istud concedo.
570 Nec est aliquod inconueniens in casu illo, immo quod omnes angeli sint in grano milii quia non sunt in loco circumscriptive. Et per consequens quacumque quantitate quantecumque parva signata, in illa possent esse omnes angeli, non quin ex virtute propria possint esse in maiori loco si esset, quia in casu maior non est, ideo omnes essent in
575 illo grano milii vel testa ovi. Et ad improbationem cum dicitur quod quam repugnat duobus corporibus esse in uno indivisibili tam e

550 loco] et *add. sed del. C*

564 ad primam] Cf. supra n. 45.

converso, hoc nego.. Et ratio est, quia divisibile habet extensionem quae non potest recipi in non-quanto. Sed indivisibile non variat naturam divisibilis ut sit cum eo ut sic possit dici quod indivisibile se habet per modum parvi sed divisibile per modum magni. Nunc autem parvum esse in magno rei natura patitur, sed e contra non, et hoc semper servatis rationibus magnitudinis et parvitas. 580

59. Ad secundum cum dicitur si angelus est in loco vel ergo divisibili vel indivisibili, dico quod est in loco divisibili, non per sui coextensionem, sed per exhibitionem suae praesentiae. Et cum dicitur quod maior est convenientia indivisibilis ad indivisibile quam indivisibilis ad divisibile, sed angelus non potest esse in loco indivisibili, ergo nec divisibili, hic posset dupliciter responderi. Primo negando consequentiam: sicut non sequitur maior est convenientia hominis cum homine quam hominis cum asino, sed homo non potest esse in una domo cum homine non-homine, ergo non potest homo esse in una domo cum asino. Et ratio est, quia huic termino 'homine' additur terminus sibi impossibilis, et ideo negativa illa est vera ex qua cum illa affirmativa non sequitur propositum. Ita in proposito quod sit locus et sit indivisibilis est implicatio contradictionis. Nam si locus est, divisibile est secundum suam descriptionem. Et ideo quamvis non possit esse in loco indivisibili, non sequitur quod non possit esse in loco divisibili. Aliter posset dici quod sumendo locum large pro omni eo in quo potest esse aliud, non videtur impossibile angelum posse esse in loco indivisibili, et ita negaretur minor illa. Et cum dicitur quod tunc non posset movere de loco ad locum, negatur consequentia. Ratio assignabitur in sequenti articulo, et ideo pro nunc supersedeo. Verumtamen prima responsio magis videtur rationabilis, et ideo per illam sufficienter satisfit argumento. 585 590 595 600

60. Ad tertium cum dicitur quod proprietates corporales non possunt esse in loco, ergo a fortiori nec angeli, et consequentia patet propter maiorem convenientiam proprietatum corporalium cum loco quam angelorum vel quarumcumque spiritualium naturarum. Et assumptum apparet de numeris et unitate, quare propositum. Hic dico pro materia argumenti quod aliquid esse in loco potest intelligi dupliciter: primo et per se vel per concomitantiam. Primo modo est quantitas continua; secundo modo est quantitas discreta. Si quis vellet ergo tenere opinionem ponentem quantitatem discretam distingui a continua, diceret quod licet numerus non sit per se in loco, est tamen per concomitantiam, quoniam si duo homines sunt in loco, dualitas 605 610 615

595 contradictionis] quodammodo C

583 Ad secundum] Cf. supra n. 46. 605 Ad tertium] Cf. supra n. 47.

concomitanter est in loco, et isto modo negaretur propositio assumpta.
 – Aliter posset responderi secundum opinionem dicentium talia non
 distiingui a quantitibus continui quod sicut quantitas continua est in
 loco, ita et discreta. Quia expositorie, sequitur ‘isti duo homines sunt
 620 in loco et isti eisdem demonstratis sunt dualitas, ergo propositum’.

625 **61.** Ad quartum cum quaeritur si angelus est in loco, aut
 determinat sibi certum locum, aut est ubique, dico quod sibi ex natura
 propria determinat certum locum in quo sit totus et in qualibet ipsius
 parte. Et cum probatur quod non, quia tunc signato aliquo corpore
 630 quadrato in quo sit et in qualibet ipsius parte, quod tunc si superficies
 protenderetur in infinitum cum in tali corpore sint infinitae superficies,
 sequitur quod posset esse in loco infinito. Ad istud potest tripliciter
 responderi. Primo, quia esto quod duae areae sint aequales, non
 sequitur ‘a potest esse in loco, ergo et in alio’. Sicut, verbi gratia,
 635 captis quadrangulo et quadrato aequalibus, non sequitur quod si
 taxillus potest esse in quadrato quod etiam potest esse in quadrangulo.
 Et sic diceretur in proposito, dato quod tale quadratum in cuius
 qualibet parte est angelus, possit extendi ad magnitudinem universi
 secundum mathematicam considerationem, quia secundum physicam
 640 non videtur verum. Non sequitur quod, licet illa duo| sunt aequalia, C 185ra
 quod si in uno potest esse angelus et in alio. Sed ista responsio non
 satisfacit quaesito, quia taxillus ratione suae figurae potest locari in
 quadrato et non in quadrangulo. Sed angelus non et figuratus
 quantitativis terminis, et ideo exemplum multum claudicat.

640 **62.** Aliter potest responderi quod non est inconueniens angelum
 esse in tanto loco ad quantam quantitatem se potest extendere locus in
 quo est. Sed ista responsio non videtur vera, quia tunc angelus maioris
 virtutis non posset esse in maiori loco quam angelus minoris virtutis,
 quod videtur falsum. Et consequentia patet, quia signato uno quadrato
 645 in infinitum potest protendi, et non magis quodcumque aliud quantum;
 quare propositum.

63. Et ideo potest tertio responderi realius quod quemadmodum
 in corporibus quante corpus est magnum quantitate molis, tante
 correspondenter capit de loco. Ita in spiritibus quante aliquis spiritus
 650 est maioris perfectionis, tante plus habet de loco. Et quia spiritus creati
 habent intrinsecam limitationem, ideo determinat sibi certum locum
 secundum longitudinem, latitudinem et profunditatem quam
 naturaliter non possunt excedere. Et ideo est dandus eis maximus
 locus in quo naturaliter possunt esse, sed nullus minimus. Et ideo dato

624 Et...625 parte] in imo fol. C 635 sunt] in loco add. sed del. C 648 tante] tantum C

621 Ad quartum] Cf. supra n. 48.

quadrato huiusmodi si esset maximus locus in quo posset esse, si 655
 extenderetur ad longitudinem duorum pedum, non posset ibi esse
 angelus eo quod limitat sibi locum secundum longitudinem. Et ideo
 ista consequentia non valet '*a* et *b* sunt aequalia, et *c* potest esse in *a*,
 ergo *c* potest esse in *b*'. Verbi gratia, signata maxima longitudine in
 qua potest angelus naturaliter esse quae sit pedalis, si illa per medium 660
 divideretur secundum longitudinem et adderetur alteri parti, resultaret
 secundum longtudinem superficies bipedalis aequalis priori secundum
 continentiam in qua tamen angelus non posset esse pro eo quod
 excedit intrinsecam limitationem suae virtutis, et tota ratio est limitata
 perfectio spiritualis creaturae. Et ista via satis declarat qualiter unus 665
 angelus determinat sibi maiorem locum quam alius. Et ex hoc apparet
 quod ponens intelligentiam creatam infinitam, de possibili haberet
 consequenter dicere quod posset coexistere infinito loco imaginario
 vel reali.

64. Ad quintum cum dicitur quod angelus vel determinat sibi 670
 certum locum sic quod nec maiorem nec minorem, vel sic quod non
 maiorem licet possit esse in quolibet minori, dico breviter, ut
 praedictum est, quod angelus naturaliter sibi determinat locum
 maximum, licet non minimum. Et cum dicitur quod tunc quocumque 675
 loco signato potest esse in minori, concedo. Et ad improbationem cum
 dicitur signando tres partes in aliquo loco in quo nunc est angelus,
 videlicet *a b c*, et tunc arguitur sic: *ac* est minor locus| quam *a b c*, sed
 in quolibet minori potest esse, ergo potest esse in *ac* et non erit in *b*, et
 per consequens distabit *a* se ipso per *b* quod est medium inter *a* et *c* in
 quo *b* non est, quod est impossibile. Hic dico quod licet de potentia 680
 Dei absoluta hoc potest fieri de angelo, non tamen de sua potentia
 naturali. Et ideo dico quod proprie *ac* non est unus locus sed duo
 distincta in quibus non posset esse sine continuatione medii. Sicut,
 verbi gratia, anima intellectiva informat manum et pedem quae non
 informat destructa continuatione inter manum et pedem. Sic cum 685
 signatur aliquis locus in quo sit angelus, numquam est in
 extremitatibus illius loci nisi propter continuationem quam habent
 illae extremitates ad invicem. Et igitur si per aliquem causam
 auferatur huiusmodi continuitas, angelus non esset in illis
 extremitatibus de sua potentia naturali. Tamen possibile est *a* angelum 690
 esse in duabus extremitatibus alicuius continui sine quacumque sui
 multiplicatione. Sicut, verbi gratia, multiplicet Deus duas extremitates
 alicuius continui, non multiplicando ipsius medietatem, et sunt illae
 duae extremitates in ista schola quas Deus uniat hic ipsas continuando,
 et sit illud continuum *a*. Tunc sic: angelus potest esse in *a* sine sui 695

C 185rb

670 Ad quintum] Cf. supra n. 49. **673** praedictum est] Cf. supra n. 63.

700 multiplicatione, et *a* est illae duae extremitates, ergo potest esse in duabus extremitatibus absque hoc quod sit in medietate sine sui multiplicatione. Sed istud fieri non potest de potentia naturali ipsius angeli, quia ipse multiplicare unum corpus in diversis locis non potest, quare propositum.

705 **65.** Ad sextum cum dicitur quod si angelus esset in loco divisibili quod tunc simul et semel quiesceret et movetur, dicendum est quod istud non est inconueniens, immo est concedendum. Sicut etiam anima intellectiva in nobis simul et semel quiescit et movetur, et hoc est per accidens, quia ad quietem illius in quo est quiescit et ad motum alterius in quo est movetur. Sicut apparet etiam de dormiente in navi qui ad motum navis movetur et tamen quiescit continue in eadem parte navis. Et sic est in proposito. Sed quod angelus motu proprio quiesceret et moveretur sine sui multiplicatione, hoc non est
710 verum. Et ad improbationem cum dicitur quod ex contrariis sequuntur contradictoria, apparet quod non est sic in proposito, quia quies alicuius per se et motus ipsius per accidens non sunt contraria. Nunc autem in tali casu per se quiesceret et moveretur per accidens, et ideo
715 talia non sunt contraria. Sicut duplum et dimidium respectu eiusdem sunt contraria, sed respectu diversorum non. Et ideo stat quod idem sit duplum et dimidium. Et ideo sic arguere hoc est duplum, ergo non est dimidium, mala consequentia est; et ita in proposito quiescit, ergo non movetur, consequentia nihil valet.

720 **66.** Ad septimum cum dicitur quod angelus est in loco divisibili, sequitur] quod a se ipso distat. Ista consequentia negatur sicut de anima intellectiva quae est in pede et in manu. Et tamen non sequitur quod a se ipsa distat pro eo quod est tota in toto et tota in qualibet parte. Et sic angelus ex limitatione proprie perfectionis determinat sibi certum locum in quo est totus et in qualibet sui parte, et propterea a se
725 ipso non distat. Et tota ratio est, quia universaliter quandocumque est ita quod aliquid est illimitatum ad multa, licet ipsa sint ab invicem separata, non tamen ipsum patitur aliquam distantiam ad se ipsum. Quia igitur Deus in universo est illimitatus ad quamlibet eius locum, et angelus respectu sui loci, et similiter anima intellectiva respectu
730 corporis, ideo non sequitur quod argumentum intendit.

67. Ad octavum cum dicitur quod si angelus est in loco, vel ergo per suam substantiam, potentiam vel operationem, immanentem vel transeuntem, hic dico quod quamvis sit secundum suam operationem,

720 Ista] ita C

701 Ad sextum] Cf. supra n. 50. 719 Ad septimum] Cf. supra n. 51. 731 Ad octavum] Cf. supra n. 52.

potentiam et substantiam in loco, tamen non quodlibet istorum est sibi ratio formalis existendi in loco sic quod non posset esse in loco sine eis, quoniam, ut in praecedentibus declaratum fuit, quamvis nullam operationem haberet, angelus non minus posset esse in loco, et similiter quamvis nulla potentia sibi corresponderet. Et ideo si aliquis locus est existentia sua, est sibi ratio formalis quod sit in loco. Sed quod sit in uno loco sic quod non in quolibet, provenit ex limitatione proprie naturae. Et cum probatur quod non, quia sua substantia est indifferens ad omnem locum, hic dico quod substantia angeli non est indifferens ad locum sumptum communiter, sed bene ad istum vel ad illum particulariter demonstratum. Sicut homo indifferens est ad hunc colorem vel ad illum, utputa albedinem vel nigredinem, non tamen ad colorem sumptum communiter. Ita in proposito, quamvis angelus non plus determinet sibi terram vel aerem, quia ab eis non dependet in conservari, tamen si locus est determinat sibi aliquem communiter sumptum.

68. Cum etiam improbatur quod non est in loco per suam potentiam quia vel per intellectivam vel per volitivam, dico breviter quod nec per volitivam nec per intellectivam, et divisio est insufficiens, sed per potentiam motivam. Unde oportet nos imaginari in angelo potentiam motivam quae est suae virtutis applicativa ad tantam vel tantam distantiam loci. Nec etiam instantia quae adducitur de operatione multum concludit cum dicitur quod nihil posterius est causa prioris ut sit in loco. Constat enim, secundum Philosophum, quod quantitas est ratio quare substantia est in loco, et tamen quantitas naturaliter posterior est ipsa substantia. Sic igitur apparet quod praedicta ratio non concludit.

69. Ad nonum cum dicitur quod potest esse in duobus locis, eadem ratione in infinitis, ut deducit Philosophus, IV *Physicorum*. Sed si angelus est in loco divisibili, ipse est in pluribus locis et per consequens eadem ratione potest esse in infinitis quod est impossibile, cum hoc sit solius Dei proprium. Hic dico quod angelum esse in pluribus locis potest intelligi dupliciter: vel in pluribus locis non continuatis, vel in pluribus locis continuatis. Si intelligatur primo modo: aut intelligitur de Dei potentia absoluta, aut de angeli potentia naturali. Primo modo absque dubio angelus potest esse in pluribus locis non continuatis ut sit simul in caelo et in terra, quia hoc non est

770 continuatis] propter limitationem virtutis angelicae *add. sed del. signis va-cat C*

736 declaratum fuit] Cf. supra n. 23. **750** Cum...improbatur] Cf. supra n. 53. **757** secundum Philosophum] ARIST., *Physica*, IV, c. 5 (AL VII-1, 151; Δ, c. 5; 215b 5-8).

761 Ad nonum] Cf. supra n. 54.

magis impossibile Deo quam facere unum corpus in diversis locis quod continue facit in Eucharistiae sacramento. Si vero intelligatur de potentia angeli naturali, sic tenetur communiter inter doctores quod angelus non potest esse in pluribus locis non continuatis propter
 775 limitationem virtutis angelicae. Si autem fiat mentio de locis continuatis, sic absque dubio angelus ex propria naturali potentia potest esse in pluribus locis, quia ex sua natura determinat sibi tantum locum et non maiorem, qui locus cum sit divisibilis, non solum plura sed infinita loca partialia continet in quorum quolibet est angelus.
 780 Auctoritas igitur Philosophi intelligenda est de corporibus habentibus propriam existentiam et hoc circumscriptive, non autem definitive cuiusmodi est in proposito. Nam constat quod albedo in lacte est longa, lata et profunda, et per consequens corpus non est ipsa substantia lactis et tamen est in eodem loco cum substantia lactis. Et
 785 ideo ad hoc quod auctoritas Philosophi habeat veritatem, oportet quod intelligatur de corporibus habentibus per se ultimam subsistentiam et distinctam subiecto et loco ab aliis, et ideo consequentia sua quam facit, solum tenet ibi de materia. Unde sequitur possum portare duos lapides et tres, ergo eadem ratione infinitos. Ita similiter angelus potest
 790 esse in duobus, ergo in infinitis, argumentum non valet nisi intelligeretur angelum esse circumscriptive in loco. Sed hoc est verum quia est per exhibitionem suae praesentiae. Et ideo stat quod sit in duobus locis quamvis non possit esse in infinitis propter limitationem suae virtutis applicativae ad locum. Sic igitur apparet quid est ad illud
 795 argumentum dicendum.

70. Ad decimum et ultimum cum dicitur quod si angelus potest esse in loco divisibili, sequitur quod potest esse in infinitis mundis, nego consequentiam semper intelligendo de potentia angeli naturali. Ad probationem quia angelus potest se retrahere a loco in quo est ad
 800 unum punctum, sed maior est proportio illius loci ad illum punctum quam totius universi ad illum locum, ergo et potest se extendere per totum universum, hic dico quod consequentia non valet. Cuius ratio est, quia signato per imaginationem aliquo lapide quem possum portare, quocumque minori ipso dato possum ipsum portare, et sic
 805 procedendo in infinitum, 'ergo et sic possum de quolibet maiori',] consequentia non valet. Cuius ratio potest dupliciter provenire: aut ex potentiae fatigabilitate, aut ex potentiae intrinseca limitatione. Nunc autem angelus est limitatus in perfectione, et ideo ex sua natura potest esse in tanto loco et non in maiori. Et propterea sibi non repugnat
 810 possit esse in quolibet minori cum hoc non egrediatur limites suae potentiae naturalis. Tamen ulterius de retractatione potest esse duplex

C 186ra

796 Ad decimum] Cf. supra n. 56.

intellectus: uno modo quod retrahat se per puncta, alio modo quod retrahat se per partes talis loci in quo est. Et hoc potest contingere dupliciter: aut per partes proportionales, aut per partes eiusdem quantitatis. Si intelligatur per puncta et partes proportionales, 815 numquam angelus perveniret ad punctum terminans talem locum angeli. Sit, gratia exempli, talis locus linea. Si autem intelligatur per partes eiusdem quantitatis, sic dicunt multi quod potest pervenire ad punctum terminantem talem lineam. Sed utrum angelus possit esse in punctali, dubium est apud nonnullos de quo statim dicetur. Sic igitur 820 apparet quod medium in quo se fundat ratio non est validum quod si possum in minus in infinitum quod possum admaius in infinitum; quare propositum.

<Tria dubia et responsio auctoris>

71. Sed hic restat aliqua brevia dubia declarare. Primum si 825 angelus possit existere in loco punctuali. Secundum si angelus possit esse ubique. Tertium si duo angeli vel plures possint esse in eodem loco.

72. Ad primum dico quod circa illud dubium fuit duplex opinio doctorum. Quidam dixerunt quod non propter duas causas. Prima, quia 830 punctus non potest habere rationem loci, quia “locus est ultimum corporis continentis,” et per consequens est divisibilis. Nunc autem ponere punctum esse locum est ponere divisibile esse indivisibile quod est impossibile. – Secunda causa est, quia virtus angeli, cum sit naturalis, determinat sibi naturaliter locum certae magnitudinis sic 835 quod in maiori nec in minori potest esse, sicut anima intellectiva determinat sibi corpus quod potest informare ita quod non potest esse in quolibet maiori nec in quolibet minori.

73. Sed istae rationes parum moverent oppositum sustinere volentem. Nam ad primam diceret quod illa est definitio loci 840 secundum modum essendi in loco circumscriptive, et non generaliter prout est locus.

74. Ad secundum diceretur quod non est simile de anima et angelo, quia anima unitur per modum formae et est forma, et ideo 845 naturaliter requirit materiam debitae quantitatis in magnitudine et parvitate. Non sic est de angelo qui, cum sit indivisibilis, nec requirit locum ut materiam quam informet, ideo posset esse sub quacumque parva quantitate.

819 talem] locum angeli *add. sed del. C*

831 locus...832 continentis] ARIST., *Physica*, IV, c. 2 (AL VII-1, 140; Δ, c. 2; 209b 2): Est locus primum continens unumquodque corporum. 843 Ad secundum] Cf. supra n. 72.

75. Aliorum opinio est quod potest esse in loco punctali.
 850 Verumtamen posset tertius| modus dari magis modificatus quod si de C 186rb
 potentia naturali angeli quaeritur, forsitan non posset se facere in loco
 punctali. Si vero de potentia Dei absoluta loquimur, non video quin
 posset esse in uno puncto, cum nulla contradictio videatur. Sed
 primum probare difficile est licet ad hoc posset adduci ratio talis: si
 855 angelus est in puncto tamquam in loco, impossibile est angelus
 moveri, nam ab uno puncto ad alium sunt infinita puncta. Si ergo
 haberet transire per istum modum, numquam posset pervenire de
 puncto ad punctum. Sed ista ratio probat praecise quod angelus non
 potest dici sic esse in puncto quod impossibile est ipsum non esse in
 860 puncto, quod verum est quia si non posset esse alibi quam in puncto,
 ratio concluderet; sed illud est falsum. Sic igitur apparet quod utraque
 pars potest probabiliter sustineri, sed neutra potest convincenti ratione
 probari. Et sic de isto dubio sit finis.

76. Ad secundum dubium similiter est duplex doctorum opinio.
 865 Quidam dicunt quod angelus potest esse in diversis locis simul et
 semel et hoc discontinuus, licet non ubique vel infinitis. Quorum radix
 est, quia angelus est natura media inter Deum et corpus. Nunc autem
 corpus non potest esse nisi in uno loco, Deus vero ubique, et ideo
 angelus mediat quod potest esse in diversis locis, licet non in infinitis.
 870 Sed ista ratio parum moveret, quia secundum hoc homo posset
 naturaliter esse in diversis locis continuis propter intrinsecam
 limitationem suae perfectionis, quae rationabilior videtur et magis
 consona dictis sanctorum. Et ideo potius est tenenda quod angelus sua
 naturali virtute non potest se ubique extendere nec in locis
 875 discontinuis.

77. Ad tertium dubium dicitur ab aliquibus similiter quod duo
 angeli non possunt esse in uno loco, et duplex ratio assignatur. Prima
 est ordo universi, quia cum sint partes in universo, non possunt esse in
 eodem loco, quia tunc universum esset quodammodo monstruosum. –
 880 Secunda ratio est, quia eiusdem effectus non possunt esse plures
 causae totales. Nunc autem quia angelus comparatur ad suum locum
 sicut causa ad effectum, non possunt esse plures angeli in eodem loco
 quin duae causae totales essent respectu eiusdem effectus. Et ideo isti
 dicunt quod duo angeli non possunt esse in eodem loco.

885 78. Sed absque dubio rationes istae modicum concludunt. Prima
 non, quia secundum illam rationem oporteret assignare angelo unum
 locum in quo posset esse praecise et extra illum non, sicut nunc
 facimus de manu respectu hominis. Sed sine dubio talem ordinem non

864 Ad secundum] Cf. supra n. 71. 876 Ad tertium] Cf. supra n. 71.

requirit universum, et ideo non propter hoc universum esset monstruosum, sicut in nobis si nasus esset in pede. 890

79. Ad secundum diceretur quod alia operatione angelus est in a loco et alia alius angelus. Et ideo non essent duae causae totales respectu eiusdem effectus. Sed forsitan dicitur quod stante prima operatione| respectu loci, non potest alia supervenire. Dico quod hoc non oportet ubi operationes non evacuant potentiam receptivam passi. 895
Nunc autem una operatio angeli respectu loci non evacuat totam potentiam receptivam loci, et ideo duo angeli possunt esse in eodem loco.

80. Et contra istam positionem est ratio satis apparens, quia non magis repugnant ad invicem duo angeli quam duo corpora. Sed duo corpora possunt esse in eodem loco, ergo et similiter duo angeli. 900

81. Praeterea, hoc apparet ex textu evangelii ubi sententialiter ponitur quod una legio demonum fuit in eodem corpore hominis. Constat autem quod legio est numerus sex millium sexcentorum sexaginta sex; ergo plures fuerunt in eodem loco. 905

82. Ideo sine praeiudicio posset dici quod quidquid sit de ipsorum potentia naturali, tamen de Dei potentia absoluta plures angeli possunt esse in eodem loco, cum ex hoc nulla videatur impossibilitas nec ex parte Dei, nec ex parte ipsorum angelorum. Et in hoc iste primus articulus sine ulteriori protractatione finitur. 910

891 Ad secundum] Cf. supra n. 77. **902** textu evangelii] Resp. Marc. 5, 9-13.